



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii
In India Socij**

Trigault, Nicolas

Coloniae, 1611

XV. Animi submissio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45183

ti ab ijs, qui ad perfectionem vel suam vel aliorum contendunt, quantum vnus homo, heroicè in virtutè incumbens, possit, ac perficiat amplius, quàm remissi complures; planè vt optare Societati nostræ possimus multos Gaspares. Multitudo enim sapientum, est sanitas orbis terrarum.

CAPVT XV.

Animi submissio.

PANEGYRICA, vt diximus, Gaspari lacrymæ fuerunt, & communis omnium comploratio: verùm hæc ijs sufficiat, qui virtutis eius erant spectatores; nobis iusta tanto viro persoluenda, breui saltem plurimarum virtutum enarratione, nisi iniqui in Patrem, iniurijs in posteros esse velimus, quibus ille perpetuò calcar & norma ad omnem pietatem merito est futurus. Non est consilij mei, ea quæ ex singularum virtutum instituto laudabiliter præstitit, recensere: sed nonnulla tantùm, vel ex epistolis

eruta, vel aliunde, quæ omiffa erāt, eximij viri monumenta memoria consecrare. Faciam verò, quod in facris amari solet; simplicitatem sequar absque sermonis apparatu, eius ferè verbis latinitate donatis, imò illis ipsis redditis, vbi latina, quod persæpe facit, inseruerit. Et vt ab ea virtute incipiamus, à qua omnes incipere meritò debent, videamus, quantum ipse in sui demissione seipsum promouerit.

Animi demissio, in concluso virtutum horto arbor est eius generis, vt non sublimiùs ramos, quàm radices altiùs producat: quibus enim quisque gradibus sese depresserit, iisdem sese omninò in altum educit. Eius rei Gaspar vel docente spiritu, vel ex tirocinio illo Conimbricensi sub disciplina Roderici, nò ignarus, ita in hoc genere excelluit, vt meritò dubitari possit, aliàne vlla in eo virtus magis eluxerit. Magna autem huius virtutis pars est, seipsum cognoscere: nam elatio ferè perstringit oculos, & hominem
sibi

fibi vel videri facit quod nō est, vel quod est non finit videri. Quàm verò hīc excelluerit, ijs, quæ suprà pluribus locis sparsa sunt, relictis, paucis ostendam.

Et quidem eius litteræ ac verba propè omnia huiusmodi rebus sunt inspersa. Seipsum vocat modò inutilem, modò indignum, vt ferè in litteris subscribebat; modò Societatis mancipium. Sed insignis est locus in epistolâ Conimbricâ ad suos missâ, vbi sic sibi de suo in Societate ingressu gratulatur: Non cesso, inquit, Deum laudare, quòd me tam fœdum peccatorem in tantis miseris constitutum, è mundi face in hunc sanctum suum cœtum dignatus sit aggregare, vt in eo quotidie meipsum magis magisque confunderem, ingrati animi mei vitio cum Angelicis ceterorum actionibus, quas quotidie vel video vel audio, comparato, eo consilio, vt me excitem, & exiliam è fœda scelerum meorum lacuna, in qua velut fœdissimus bufo obuolutus iaceo

semper, meipsum terra farciendo. Et sanè, nisi tantum in orationibus vestris considerem, quas scio vos pro me quotidie ad Deum fundere, animi planè nihil superesset ad quicquam eorum aggrediendum, quæ per me velut Societatis nostræ abortiuum quotidie dignatur Dominus operari, & pro sua infinita clementia memor esse, me sui corporis suâ gratiâ membrum: quia ex lapidibus suscitatur filios Abrahæ, ut virtus infirmitate consolidetur, non meis meritis, quia nihil sum. hæc ille. Et quoniam ipse in sui ipsius cognitionem ita penetrarat, id eò credebat iisdem, imò perspicacioribus oculis sua quoque vitia ab alijs peruideri. Quare cum se fratrum orationibus commendat, quod sæpe facit & impensè, dicit ferè: quoniã scitis me, quem ita nostis, vel cuius vitia tam accuratè cognoscitis, præce teris indigere. Et quoniam de orationibus agitur, quæcumque per eum Deus operabatur, id orationibus aliorum acceptum refert, cum pro

pro eo quòd dicere debuerat: hæc & hæc Deus per me fecit; ait: mirabilia sunt, quæ Deus nostræ Societatis opera perficit. His & similibus formulis quid intus de se sentiret, magno candore prodit. Sed neq; sibi satisfaciebat, si se ipse cognosceret: verùm eam rem suis ita commendabat, vt primum Societatis nostræ stabiliendæ sæpe fundamentum esse assereret.

Id non aliàs magis ostēdit, quàm cùm initio sui muneris, ceterorum iam cura oneratus, socios, quotquot domi aderant, in eam rem vnam sex mensium spatio mādauit insudare: quod cùm ipse quotidianis cohortationibus explicaret, quanto eum putamus magis quàm ceteros penetrasse? Hinc illæ demissi animi in litteris voces: & quidem ad P. Miram Lusitanicæ Prouinciæ Præpositum ita scribit: Vires habeo nunc admodum imminutas; quam suffecit hætenus esse me vermiculum ex tam vili abiecta que materia, vt si mea non impedissent

*Nostros
in humi-
litate e-
xercet.*

Q s pec-

peccata, Deus magna operaretur: sed de his non dico plura, cum ita sim notus in conspectu mortalium ac immortalium. Itaque non cesses pro me orare, ut ego cessem à meis peccatis; & Domini cessabit in me iracundia. Ita planè Iaponicæ expeditionis infortunium, quod ipse hîc & alibi sæpe deplorat, criminibus suis irrogat, qui in populi, ut erat, fauorem poterat reijcere. Aliàs dicit, se fructum impedire; aliàs, ut si quid de se boni in Lusitaniam scribatur, ne credat is, ad quem scribit P. Gonzalues; eos qui hæc scribunt, non falli solùm, sed etiam malè sibi velle. Ita de se semper; sed cum necessariò res suas cum laude commemorat, tanto artificio tegit, quanto alius quilibet aperiret. In primis mandat B. Xauerius singulis, ut de se quisque ea scriberet, quæ cum diuini obsequij incremento succederent; ne tantis solatijs Societas in Europa priuaretur. Gaspar, ut erat mandatum; fecit: & quidem etiamsi, ut ait, esset ab alijs arrogan-

rogan-

rogantiæ incusandus; sed tamen ita fecit, vt de se nihil omitteret quod ad vituperium faceret: (testis est illa Goana concio) reliqua autem sic tegebat, vt alius quilibet ea videretur confecisse. In miraculis perscribendis illud sanè est illustre. Nam iisdem propè verbis vtitur, quibus D. Paulus: Noui hominem, &c. Noui Patrem è Societate nostra quendam, in his Indiæ partibus: ac deinde narrat ea, quæ alio loco sunt commemorata. Sed non solum ille de se vel ita sentiebat, vel loquebatur: sed neque se honorari è quo animo patiebatur. Eius rei exempla sunt propè infinita.

Ab Armuziam cum venisset, propter litteras quas Episcopus Goâ præmiserat, ita semper à Sacerdotibus colebatur, vt quocumque exiret, illi honoris causa statuisent comitari. Non tulit Gaspar, sed importunis precibus ab ijs extorsit, sibi vt soliliceret incedere: neque enim, ait, Societas nostra venit ministrari, sed ministrare; quantò minùs ego

Honores fugit.

qui ne sum quidem dignus vobis aliqua in re famulari. Itaque ne illi ægrè facerent, magna tantæ virtutis admiratione destiterunt. Tantus erat præterea salutantium Armuziæ numerus, etiam à nostra fide quocumque modo alienorum, vt aperto ferè capite incedere cogeretur. Ea res in tanto æstu erat permolesta: itaque statuerat palàm concionem rogare, ne se salutarent; sed tamen veritus, hoc ab amore sui æstusque impatientia prouenire, sese continuit. Ita pugnantibus inter se virtutibus, vt sic loquar, id eligebat, à quo magis abhorrebat. Magnopere cupiebat, vt ad Patrem Rodericum scribit, à Lusitanis abesse; quoniam, inquit, tantum non me profancto habent, cum sim ego daemonium. Porro qua ratione ita à ceteris cultus, in hac animi modestia sese conseruaret, operæpretium est ex eo audire. Postquam enim, quanto perè honoraretur ab omnib⁹, enarrasset, hæc habet.

O fratres carissimi stupebitis, quæ fieri

feri potuerit, vt ego imperfectus ac tenuis, hoc vanitatis turbine non euolarim! Dominus noster, qui non attendit qui simus, sed solùm quod è IESV coetu simus, promouendi suos atque præseruandi curam gerit: atque ideò magna ille mihi remedia suggestit, ne id vanitatis vento dispergerem, quod ille sua nobis demissione comparauit. Nam tantis me laboribus obruit, atque ita continuis, vt nullus esset, vt maximè vellem, elationi locus, quæ ferè multum otij postulat. Si quiescendum erat, non satis aduertebam, in lectòne, solo, aut sede quieuissem; & donec aduerterem, securus sanè eram. Ego verò tantus peccator non habeo vnde glorièr, nisi in infirmitatibus meis: quid habeo quod non accepi? gratia Dei sum id, quod sum. quare ergò gloriabor, quasi non acceperim? Item post pauca: O fratres è Societate Iesu, quò fieri potest, vt eò ingrediatur dæmonis suggestio, vbi omnia occupat Iesus, & omnia rapit & possidet!

Q 7

Ita

Ita ipse duo remedia sanè suggerès
opportuna, iunctam cum sui cog-
nitione occupationem.

Miretur certè, qui velit Gaspa-
rem illum tantarum rerum aucto-
rem: ego sanè, ex quo in eius mode-
stiam oculos conieci, non video de
cetero quod admirer. Da mihi ho-
minem ita de se sentientem, & ego
mox alterum Gasparem tibi dabo,
qui suas tentationes tam candidè
aperiat, qui tam seriò se aliorum lu-
dibrio ac risui exponat, qui ad infi-
ma quæque munia descendat; qui sic
infirmis famuletur, qui concionum
suarum euentus ita prædicet, qui
præesse alijs ita exhorreat & refu-
giat, qui pueros tanto studio edoce-
at; qui inter heroica sua opera se ni-
hil facere, vt ait, ipse arbitretur, &
facilè deinde dabitur, qui vitiorum
monstra, sectarum portenta, cum
virtutum ac veræ fidei venustate
permutet; qui paucorum annorum
spatio seipsum meritis, alios bene-
ficijs, orbem famâ, cælum repleat
ijs, quos conuertit. Tanti omnino
est.

est in seipsum ingredi ac penetrare, ne in paupertatem incidentes, quod ille lugebat, fodere non valeo, lugeamus.

CAPVT XVI.

Paupertas & obedientia.

MODESTIAE Christianæ ac demissionis multi sunt effectus ac membra: qui enim se ut nihil agnoscit, nihil omnino vult suum retinere, nihil possidere, non ea quæ alij tanto studio acquirunt, imò nec seipsum. Primum genus paupertate, alterum obedientia continetur. Gaspar in vtraque sic excelluit, ut plus videatur ex India, quam qui multa inde aduehant, nihil possidendo reportasse. Id lacer Armuziæ ac pannosus, id æger Goæ demonstrauit. In nauigatione multa illi pro se ac socijs bellaria afferebantur, à Præfecto potissimum; quæ ille semper constanter recusauit, afferens sibi ac socijs nauiticum sufficere commeatum. Eadem constantiâ deinde Armuziæ munus

munus